


05

A

1665





A. A.
De
PECCATO O-
RIGINIS

DISPUTATIO PUBLICA;

In Academiâ VVittebergensi sub au-
spicijs divini Numinis proposita;

PRÆSIDE
FRIDERICO BALDVINO
SS. Theol. Doctore & Professore
Publico;

RESPONDENTE
M. BALTHASARE MEISNE-
ro Dresdensi.

a. d. 25. Octobr: horis & loco solitis.

VVITEBERGÆ
Typis Cratonianis per Iohann Gorman;

ANNO 1605.

DE REBECATO
CRISTIANI



05 A 1665





σὺν Θεῷ

DISPUTATIO,
DE PECCATO
ORIGINALI

THESIS I.



Vando sancti in scripturâ de obscuritate peccati conqueruntur, quòd nemo sit, *delicta qui intelligat, Psal. 19, 13*, quòd occulta nobis sint, *ib.* & ante conspectum Dei posita *Psal. 90, 8*: non volunt, ut cum filijs huius seculi Epicureâ securitate omnem peccati, ut rei ignotæ, curam abjiciamus, fortitudinem nostram ponentes legem iniustitiæ, *Sap. 2, 11*: vel ut unicuique de peccato liberè opinandi licentiam relinquamus.

II.

Sed partim clandestinam illam subtilitatem eius innuunt, quâ sese in sanctorum etiam corda occulto modo insinuare solet, ut & iustus in die cadat septies, *Prov. 24, 16*: partim difficilem eius considerationem & abstrusam scientiam esse indicant, eò quòd homines naturæ suæ blandientes, non tantùm secreta mentis, quæ tamen Deo sunt notissima, sed & notoria interdum vitia sæpe nomine virtutum venditant.

III.

Ita enim dementavit, proh dolor, *μυριότερον* ille hebetem mentis nostræ aciem, ut, cum naturâ scire desideremus omnes, nunquã tamen obtusiores simus, quàm in scientiâ domesticâ, hoc est, agnitione nostri; nuspiam stolidiores, quàm cum de nobis ipsis, & de ijs, quæ in nobis sunt, iudicare debemus.

IV.

Idq; facit cõgenita nobis *φιλαυρία*, quæ maiorem apud Theologos, quàm in scholis Philosophorum reprehensionẽ meretur, eò quòd

primo peccato hominis quotidie ansam præbet, quod est peccatum non agnoscere, sed varijs argutæ rationis *περιζώματα* obtegere, quo nomine inter causas alias, quas habet lib. 14. de civ. Dei cap. 4. D. Augustinus non abs re omne peccatum mendacium esse dixit.

V.

Hoc vel imprimis verum est de Peccato Originali, quod non quidem ab origine mundi fuit: (introijt enim in mundum Rom. 5, 12: sed nobiscum suam sumit originem, nobisque singulis conascitur, & tamen tam difficilis cognitionis est, ut nihil ferè sit, quod tam crassè multos lateat, quodque multi non sine impietate tam latere velint, qua de re tralatitium est illud Augustini: *Nihil est notius, quàm peccatum originis, ad intelligendum verò nihil secretius.* lib. 1. de morib. Eccles. cap. 22.

VI.

Quin & obscuritatem hanc ne quidem Scriptura reticuit. Nam cum Propheta Moses Psal. 90 vitæ humanæ fragilitatem graphicè describeret, meminit etiam causæ tanti mali, quæ sunt peccata hominum, de quibus inter alia ver. 8. sic loquitur: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & seculum nostrum* (iuxta versionem LXX interpretum) *in illuminatione vultus tui:* quo in loco D. Hieronymus non immeritò miratur, quomodo Septuaginta viri vocem Hebræam reddiderint vocabulo *αιῶνος* sive seculi, nisi fortè, quòd in seculo huius vitæ vitia committantur; *in epist. ad Cyprian.*

VII.

Sed in linguâ sanctâ est vocabulum *עַלְמָוּת*, quod adolescentiam significat & pueritiam, ut Iob. 33, ver. 25; interdum etiam pro peccatis & vitijs adolescentiæ capitur, ut Iob. 20, v. 11, *ossa eius implebuntur עַלְמָוּת* *עַלְמָוּת* *עַלְמָוּת*, *iuventute eius*, ut quidem LXX reddiderunt, sed explicatiùs in versione veteri, *vitijs adolescentiæ eius*: unde quidam illud P sal. 90, ubi Septuaginta habent *seculum nostrum* exponunt *occulta nostra, occultas iniquitates*: quo vocis etymo quasi digito notatur peccatum originis, quod inter peccata iuventutis & pueritiæ
primum

primum est, ideo Spiritus S. in suâ linguâ & pueritiam & vitium pueritiæ uno vocabulo exprimere voluit.

VIII.

Nam cum vocabulum hoc descendat à radice על, quod est involvere & occultare, & ipsum nomen עלים interdum occultum quid significet: ideo non obscure docere voluit Spiritus S. primam mali originem in infantibus non cuius ad intelligendum esse obviam, sed veram ejus agnitionem propriam esse Spiritus S. sapientiam; ac proinde non ex Philosophorum scriptis, non ex Ethicorum præceptis; (quæ quidem de virtutibus agunt & vitis, nihil autem de justitia & peccato originali;) sed ex sacrosancto Bibliorum codice tantum addiscendam esse.

IX.

Idcirco Hieremias Propheta c. 17. v. 9. cum peccatum originis admodum significantibus expressisset vocabulis; addit insuper, miseriam hanc esse super omnia in excellenti gradu, quam nemo satis intelligere, aut cogitando satis posset percipere: *Pravum, inquit, est cor hominis super omnia, & miserum, QVIS COGNOSCEAT ILLUD?* cum vice versa peccata actualia seu opera carnis manifesta sint omnibus Gal. 5, 19.

X.

Ut autem difficilis & obscura sit hujus Peccati agnicio; valde tamen necessaria est ejus investigatio. Præterquam enim quod multorum malè sentientium deliria aperit, odium insuper peccati in nobis acuit, miseriam nostram, misericordiam Dei, meritum Christi patefacit, preces in nobis ardentiores facit, in vita cautiores, & ad alia Christianitatis officia nos alacriores reddit; ita ut vel his nominibus operæ precium facturi simus, si tam pestiferæ labis, naturæ nostræ adhaerentis, considerationem accuratam suscipiamus.

XI.

Quod priusquam fiat, sciendum est, sermonem nobis esse de primo hominis peccato, non prout à primo homine commissum (illud enim non originale, sed actuale fuit) sed quatenus à primo homine ad posteros per carnalem propagationem traductum est, unde peccatum originis vulgò dicitur ab uniuscujusque personæ origine, à Lutero nostro *hereditarium, capitale & principale peccatum* appellatur.

part. 3. artic.
Smalc. art. 1.

A 3

His

Questio 1.
An sit peccatum
originis.

1. ἀπόφασις
opinionis fal-
sæ.

Calvin. lib
4. instit. cap.
16. sect. 15
cap. 15. sect.
22.
Beza colloq.
Mompelg.
pag 435. &
quest. &
resp. de sa-
crâ: sect. 126
& 122.

XII.

His ita positis, ut jam exordium sumamus ab eo, quod primum in quæstionem venit; sanè non defuerunt diversis temporibus, qui vel peccatum nullum à parentibus per generationem trahi putaverunt, vel tantùm morbum aliquem in liberos propagari crediderunt, qui tamen in se non sit culpabilis: idque non tantùm privatim ita senserunt; sed magnam partem publicis literarum monumentis docuerunt: utriusque peccatum originis hoc ipso abnegantes, sibiq; verè occultum & incognitum illud facientes.

XIII.

In prima classe fuerunt olim Pelagiani, quorum præcipuam hæresin in hoc articulo ita ferè describit D. Augustinus hæres. 88. quòd nimirum docuerint, peccatum soli Adamo nocuisse, non posteris, peccatum ab Adamo propagari in posteros non generatione carnali, sed imitatione tantùm alieni exempli, quos errores alibi sæpissimè recenset & refutat, ut in lib. de peccat. merit. & remis. cap. 2, lib. 1. cont. Pelag. cap. 9, & 10, &c.

XIV.

Errant hodie eundem errorem Anabaptistæ; qui infantes propterea non baptizandos esse censent, quòd absque peccato eos nasci putant: peccatum enim originis figmentum Augustini nominare solent, simile Mathematicorum eccentricis & epicyclis.

XV.

Ab eodem planè nihil absunt hi, qui non verentur adserere, Christianorum liberos à parentibus sanctificationem ducere, natumq; ex eo, qui in fœderis societatem receptus erat, hæreditario jure à matris utero in fœdere contineri: imò in fœdere adoptionis nasci; quin & nondum natos, sed nascituros demum infantes sanctos esse, & in fœdere censeri, quod ferè ipsis verbis est peccatum originis tollere, & more Pelagianorum puram sanctitatem Adami posteris, si non omnibus, Christianorum tamen liberis adscribere.

XVI.

Alteram classem claudit Zvinglius cum socijs. Is enim pro sua in

sua in rebus divinis impudentiâ in lib. d. Baptismo & declaratione de peccato orig. ad Urbanum Regium peccatum originale morbum quidem esse dicit, qui tamen per se peccati nomen non mereatur nec peccat ūvera fit, nec fit damnabilis, nec damnationis pœnam inferre possit, utcunque Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent.

tom. 2. operum fol. 86. b
117. seqq.

XVII.

Id verò satis impudenter est peccatum originis si non in omnibus, certè in aliquibus abnegare, utut palpabilem hunc & damnabilem errorem de morbo infantum non damnabili hyperaspistæ Zvinglij verborum pigmentis incrustare studeant; nonnulli etiam penitus negare audeant.

vide Gualth. Aolog. 2. a.

XVIII.

Pelagianos quod attinet, ne videantur in ipso limine Christianæ nostræ religionis impingere; adsertionis suæ fundamenta petebant ex ijs scripturis, 1. quæ liberos ab iniquitate parentum absolvere videntur, ut Ezech. 18, filius non portabit iniquitatem patris: id verò fit, cum in iniquitatem parentis liberi non consenserint, & si nullo prorsus modo aliena peccata parentum propria sunt liberorum, ne quidem contagione propaginis. 2. ijs, quæ infantes nihil vel boni vel mali egisse fatentur, ut Rom. 9. Sed in hac controversia non de actione, sed propagatione peccati sermo est: ita ut nullum erroris Pelagiani patrocinium in hisce dictis reperiatur.

Vitakerum de peccat. orig. cont. Staplet. lib. 1. cap. 9. Sobnium tom. 2. oper pag. 592.

XIX.

Urgebant autem, peccatum omne esse voluntarium; quod quidem de actualibus inprimis verum est, quo sensu D. Augustinus Iuliano hoc objicienti respondebat l. 3. cont. Iulianum cap. 5. *Frustra putas ideo in parvulis nullum esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest: hac enim rectè dicuntur de proprio cuiusque peccato, non de originalis peccati contagio: quod tamen & ipsum à prima hominis mala voluntate sumit exordium.*

XX.

Quibus posterioribus verbis originale quoque vitium quodammodo voluntarium esse innuit: nimirum 1. quia ex mala voluntate primi hominis, in quo nostræ voluntates fuere omnes, originem habet: 2. quia voluntati, ut subiecto, inest. 3. quia delectationem, quæ

quæ sanè voluntatis est, conjunctionem habet, quo nomine Apostolus Paulus concupiscentiam carnis voluntates cogitationum nominat Eph. 2, 3. Atque sic axioma illud Pelagianum de voluntario in spongiam incumbit.

XXI.

Obtendunt etiam, lapsum in ipso Adamo satis fuisse punitum. Sed quia primum præceptum nos omnes, qui in lumbis Adami eramus, attinebat; ideo transgressio præcepti, & pœna transgressioni debita ad nos quoque spectabat, ut explicat Augustinus 3. de peccat. mer. & remis. c. 7. *Sic ergo nostra est Adami culpa (inquit Bernhardus) quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto.*

Serm. I. in
Dominica 1.
post Epi-
phan.

XXII.

Zvinglius ad palliandum suum errorem abutebatur potissimum iis scripturis, quæ vel liberos fidelium sanctos prædicant 1. Cor. 7, 11. vel peccatum ex lege (quam infantes ignorant) esse perhibent Rom. 3.

XXIII.

Vbi tamen in priori dicto non de sanctitate originis, sed ordinis loquitur Apostolus, hoc est, non quod à primâ natiuitate sancti & absque peccato fuerint, sed quod ordinè legitimeque nati sint aditumque habeant ad beneficia & sacramenta Ecclesiæ præ cæteris, qui extra Ecclesiam nascuntur.

XXIV.

Aliàs certum est, fidelem gignere liberos non secundum spiritum, sed secundum carnem, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis, dicente Augustino lib. 2. de peccat. mer. & remis. cap. 25. & l. 2. de merit. peccat. cap. 27. seu, ut scriptura explicat, non ad Dei imaginem, quæ in ipso renovata est, sed suam Gen. 5. v. 3.

XXV.

In posteriori verò de peccati agnitione agit Apostolus, quam ex lege esse dicit, & reperit Rom. 7. 7. non autem de peccati propagatione, quæ etiam in iis est, qui sine lege peccaverunt, ut loquitur Rom. 5, 2. 2, 12. per unum enim hominem in totum mundum intravit Rom. 5, 2.

XXVI.

Error igitur Zvinglii nullo pacto vel defendi vel excusari potest, cuius *περισσότερα* in ipso disputationis actu, volente Domino, pluribus retegenda erunt. Unum hoc tantum addo, in hoc etiam errore mutuum mulos scabere, hoc est, Papicolas & Zvinglianos pulcerrimum inter se *επιβίβοντες* constituere. Hæc

XXVII.

Hæc enim sunt emblemata doctrinæ Zvinglianæ in hoc articulo, ut ex eius libro de Baptismo declarat. de pecc. orig. & alijs colligere promptum est: 1. peccatum originis non esse propriè peccatum, sed peccatum metonymicè, hoc est, defectum & morbum tantum. 2. esse quidem conditionem miseram, sed multò leviorè, quàm ut crimen dici mereatur. 3. esse propensionem ad peccandū. 4. non posse damnationem adferre, nisi erumpat in actionem legi divinæ contrariam, 5. esse tantum in adultis. 6. ex consequente ne quidem infidelium liberos ob peccatum damnari posse, quia ex sententia Zvinglij hi tantum damnantur, qui legem sibi positam vident & intelligunt. 7. infantes, quamdiu legis capaces non sunt, in statu innocentiae esse, &c.

XXVIII.

Vix ovum ovo est similis, ut pleraq; hæc errorum emblemata Pontificiorum flosculis in hoc articulo congruunt, utut Zvinglium alioquin acerrimè impugnare videri velint.

XXIX.

In primo certè capite *ὁμολογίαν* suam conceptis verbis fatetur Belarminus, lib. 4. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 2. ubi, cum dixisset, docere Zvinglium peccatum originis, quod ipse morbum nominat, non esse propriè, sed metonymicè peccatum, mox addit, *in eo convenire Zvinglium cum Catholicis, dissentire à Lutheranis*: quod unum est.

XXX.

De secundo ita consensum suum aperit, quando scribit, in infantibus non actum peccati, sed reatum & maculam inesse, lib. 4. de amiss. grat. cap. 10. hoc est, ut autor indicis interpretatur, peccatum originis non tam esse OFFENSAM, quàm maculam: offensam autem illam propriam peccati rationem, non habere, scribit Belarm: lib. 5. de amiss. grat. cap. 19. hoc ipsum est, quod Zvinglius ait, *crimen dici non meretur*.

XXXI.

In cæteris verò haud obscurè consentit, ijs in locis, quibus concupiscentiam, quam scriptura non postremam mali originalis partem agnoscit, in adultis non peccatum esse dicit, sed viam ad peccatum, & pronitatem tantum ad peccandum, quæ tamen pœnam nullam mereatur, sed ipsa pœnæ tantum & ægritudinis rationem habeat; qua de re vide totum lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati, in primis cap. 6 & 7.

B

Quid

*Symphonia
Papicolarū
& Zving-
lianorū in
hoc arti-
culo.*

XXXII.

Quid quòd & Pighius iam pridem eodem argumento usus est, quod Zvinglius in hoc genere palmarium putabat, ex dictis Rom. 3. & 4. malè intellectis consarcinatum? Peccatum non est sine prævaricatione legis: In parvulis nulla est prævaricatio legis, unde inferebat, peccatum in infantibus verè non esse, sed concupiscentiam illam originalem, quæ in illis reperitur, resultare ex impulsu contrariarum affectionum, quæ in se non malæ, sed homini concreatæ fuerint: quid hoc aliud est, quàm peccatum originis negare cum Zvinglio?

XXXIII.

Huc pertinet illud Stapletoni, qui animam non ipsam in se peccato coinquinatam, sed gratiâ Dei & adiutorio justitiæ originalis destitutam carnis sensum sequi, & sic demum in peccatum ruere scribit: id verò in infantibus fieri simpliciter non potest, siquidem in illis anima sensum carnis nondum sequi potest, & si sequitur, iam actuale peccatum committit; unde sic inferimus: Ubi anima carnis sensum nondum sequi potest, ibi nullum adhuc est peccatum: In infantibus anima propter ætatis & rationis defectum carnis sensum sequi non potest. Ergo ex sententia Stapletoni nullum in infantibus est peccatum.

XXXIV.

Ejusdem farinae est, quòd alij præcepto illo, Non concupisces, non habitualement concupiscentiam & inclinationem ad malum prohiberi putant, sed rationis tantùm & mentis consensum, quo ipsius desiderijs obsequitur, quod est rectè concupiscentiam remittere ad adultos, & parvulos à peccato originali absolvere, siquidem in his nullus mentis consensus esse potest.

XXXV.

Etsi ergo multum sudent Bellarminus & alij in refutanda hæresi Zvinglij, nunquam tamen ex isto errorum labyrintho semet ipsos extricabunt, donec errores scholasticorum de externo ornatu iustitiæ originalis, de concreata, eademque inculpabili contrariorum adfectuum pugna, de naturalium integritate, de concupiscentiæ fomite (quem nonnunquam in aliqua parte laudis ponunt, si nimirum homo ei rectè moderetur;) & alia huius furfuris revocaverint: quod

lib. 1. de iustific. hom. cap. 8.

Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. & stat. peccati cap. 8. usq. ad 11. Staplet lib. 1. de iustific. cap. 9. Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. cap. 7. Iob. à Daventria in refut. art. 2. Aug. conf.

quod dum non fit, re ipsa peccatum originis iam sustulerunt ab infantibus, nil nisi nomen inane relinquentes; cui tamen non nisi minimi peccati appellationem tribuunt. Sed πῶς ἂν ἀμάχημα μικρὸν τοῦ λυμῆ-
σος πρὸς εἰρήνην; ait Basilus.

XXXVI.

Nos igitur omnibus ijs valedicimus, qui vel manifestè vel occultè negant Peccatum originis, quod tam sacrorum testimoniorum perspicuitate, quàm tristissimorum effectuum claritate multò evidentius ante oculos versatur mortalium, quàm ut humanâ cœcitate, aut profanâ temeritate in dubium vocari queat.

XXXVII.

Huc enim pertinent tristissimæ sanctorum querimonix, quibus non tantùm actiones nostras vitiosas, sed & ipsam naturam & nativitatem nostram accusant, in iniquitate genitos, & in peccato nos conceptos esse conquerentes Psal. 51. cor hominis, ut pravum & inscrutabile Jerem. 17. & quidem pravum ab initio 4. Esdræ 4. accusantes, transgressores nos ex utero vocantes Esa. 48. ver. 9. omnem imaginationem cordis nostri tantùm malam arguentes, & quidem omni tempore, & ab ipsâ pueritiâ malam Gen. 6, 5: 8, 21. & tandem ne quidem unum dari mundum ab immundo conceptum semine queritantes Job. 14, licet vix unius dieculæ sit vita eius in terris.

XXXVIII.

Huc facit Salvatoris adsertio, qui quidquid natum est ex carne, carnem nominat Ioh. 3, quæ nihil quidquam prodest Ioh. 6. sed perpetuam cum spiritu exercet luctam Gal. 5. quo refertur & illud Apostoli, qui nos naturâ filios iræ nominare non dubitat, Eph. 2, 3, omneq; φθόνημα σαρκὸς mortem vocat Rom. 8, 6.

XXXIX.

Et capite imprimis quinto ad Romanos tam dilucidè peccatum originis tanquam in propria sua sede conspiciendum nobis præbet, ut mirum sit, inveniri viros Theologos, qui illud ab hominibus vel omnibus vel aliquibus remove audeant.

XL.

Ibi enim partim à communi adfectione, partim ab effectu probat esse peccatum originis his verbis v. 12: *Per unum hominem peccatum in mundum introijt; & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.*

Bellarmin. lib.
4. de amiss.
grat. cap 10.
Andradus.

2. κατὰ φασίς
sententiæ
veræ.

XLI.

Quibus in verbis talis continetur ratiocinatio: Peccatum quod accipiunt alij ab alio per transitum quendam, non est accipientibus actuale. Sed accipiunt homines peccatum aliquod ab Adamo per transitum, seu propagationem generis sui, (talem enim transitum intelligit Apostolus) Ergo peccatum illud non est actuale in hominibus, sed morbus hæreditarius, qui dicitur peccatum originis.

XLII.

In hanc sententiam præclare commentatur D. Augustinus super ista verba Apostoli: *Pertransijt, pertransijt*, inquit, *verbum attendite, quod audivistis, considerate: videte, quid est pertransijt? inde est parvulus reus: peccatum non fecit, sed traxit: etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertransijt, non in illum aut illū, sed in omnes homines pertransijt.*

XLIII.

Quæ postrema verba aliud argumentum ex hac Apostoli sententia suppeditant in hanc formam: Peccatum, de quo loquitur Apostolus, in omnes homines pertransijt: Peccata actualia præsertim *ἡ ἀρχαία* non in omnes pertranseunt: infantes enim vixdum bimuli vel trimuli eis destituuntur, ob plenæ *ἡλικίας* defectum. Ergo non de actualibus, sed originali peccato loquitur.

XLIV.

Atq; huc *ὡς ἐκ παρρησίας* forsan haud ineptè refertur id, quod Apostolus in singulari de PECCATO verba facit, cum aliàs de peccatis actualibus agens ferè semper numero multitudinis uti soleat.

XLV.

Deniq; in eodem versiculo, & subsequente 14, ex effectu causam colligit Apostolus, ex morte peccatum originis, sic concludens: Quicumq; moriuntur peccatū habent. (mors enim stipendiū peccati Rom. 6, v. 23.) Qui non peccarunt actu, (ut infantes, quos dicit Apostolus non peccasse ad similitudinem transgressionis Adæ, Rom. 5, 14) moriuntur. Ergo etiam, qui non peccaverunt actu, peccatum habent, nimirum id, quod originale dicitur.

XLVI.

Et quanquam Pelagiani *τὴν θείαν φυλάττοις* concedant, mortem quidem corporis trahi per generationem ex Adamo, non tamen mortem animæ, hoc est, peccatum: impia tamen hæc tergiversatio est, cum mors corporis aliunde esse non possit, quàm ex morte animæ.

Neq;

XLVII.

Neque enim homo mortalitati subiectus fuisset unquam, si in statu integritatis permanisset; postquam autem defecit à creatore suo, illud quoque donum immortalitatis, quod creator creaturæ largitus erat, defijt; & antegressam animæ mortem mors quoque hominis consecuta est, iuxta illud Augustini lib. 13. de civit. Dei cap. 15. *Constat inter Christianos catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege natura, sed merito inflictam esse peccati.*

XLVIII.

Cum igitur ex his infallibiliter constet, esse peccatum originis, & quidem non ex imitatione primi communis parentis, sed per generationem nostrorum parentum in nobis propagatum: proximum est, naturam & essentiam eius considerare.

XLIX.

Qua quidem in quæstione iterum duæ sunt hominum acies, Spiritui S. obloquentes, quorum aliqui *εν ελλείψει* peccant, originale malum nimium extenuantes: alij *εν υπερβολή*, plus, quàm par est, illud exaggerantes, quin imò cum ipsa hominis substantiâ confundentes.

L.

In priorum censu Pontificij sunt; qui, quamvis revera potius abnegare, quàm agnoscere videantur omnem peccati originalis rationem: tamen de hoc doctrinæ capite & ipsi frequenter verba faciunt, ita tamen, ut more vulpecularum Simsonianarum, sub specie consensus mirè inter se dissentiant, ut videre est apud eos, qui scholasticorum scrinia compilârunt, in primis verò apud P. Lombardum lib. 2. sentent.

LI.

Vnde factum, quod non modò affirmat Pighius (qui tamen communiter peccatum originis reatum esse dixit, ex peccato & culpa Adami contractum) quid sit peccatum originis, & in quo propria eius consistat ratio, Ecclesiasticâ definitione certum non esse; sed & paulò post Areopagitæ Tridentini neque veteres scholasticorum opiniones damnant, neque eas approbant, neque etiam novam sententiam decernunt, sed (si credimus Andrædio, præcipuo istius synagoga patriarchæ) cuius opinionem in hoc doctrinæ genere liberam relinquunt. *sess. 5. decr. 1. anno 1546.*

Quæstio II.
Quid sit
peccatum
originis.

I. ἀπόφασις
falsarum
opinionum

LII.

Communitè tamen eorum opinio redit ad hunc aphorismum Bellarmini: Peccatum originis esse carentiam doni iustitiæ originalis, siue habitualement aversionem & obliquitatem voluntatis: vel ut alibi loquitur: corruptionem naturæ non ex alicuius doni naturalis carentiâ neque ex alicuius malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxisse: de grat. primi hom. cap. 5. lib. 5. de amiss. grat. & statu pecc. cap. 17. & 19.

LIII.

Per iusticiam igitur originalem intelligit donum naturæ in se integræ superadditum, quod naturales illos (quos fingunt) inordinatæ concupiscentiæ motus in officio continuerit: per carentiam iustitiæ, amissionem huius doni; unde cæcitas mentis & corruptio carnis insecuta, in qua omnem peccati originalis conditionem ponunt, naturâ interim in suo statu relicta, qualem etiam ante lapsum habitura fuisset, nisi Deus eam supernaturali dono iustitiæ veluti aureo quodam freno ornasset. Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. & statu pecc. cap. 8. & 18. & lib. de grat. primi hominis cap. 5.

LIV.

Ita nihil positivi agnoscunt in hoc peccato, sed tantummodo vel privationem seu carentiam cognitionis & dilectionis Dei, omniumque virtutum, quæ erant in homine ante lapsum: vel defectum possibilitatis tantum illarum virtutum, ut Stapletono placuit: quæ ratione vel ineptissimè defectus potentiæ cum defectu rei confunditur; vel hæreticissimè calamitas potius aut infortunium ex peccato fit, quàm culpa.

LV.

Unde factum, quod Bellarminus illud maculam nominare maluit, quàm offensam; alij verò ægrè ferunt, quod in nostris Ecclesijs etiam positione odij & fugæ Dei, rerumque divinarum & honestarum omnium describitur, & aliàs gravissimè exaggeratur, cuius tamen mali perniciem nulla hominum lingua sat explicare potest.

Ut

LVI.

Vt igitur hac ratione peccatum originis nimis extenuatur: ita ex alterâ parte à quibusdam nimis exaggeratur, ita ut non amplius in censu accidentium relinquatur, quod olim Manichæos, nostro verò tempore Matthiam Flacium fecisse constat, quorum illi peccatum originis substantiam, non accidens vitium esse dixerunt: hic vero ipsam hominis essentiam, ipsam animam rationalem imaginem Satanæ vocavit, & originalem malitiam pugnantem cum Spiritu Dei, part. 2. clav. script. tract. 6. fol. 369. & 372.

Flacij opinio

LVII.

Error hic tam crassus est, ut & autorem suum nonnunquam attonitum fecisse videatur. Idcirco enim Flacius hanc quasi correctionem eius ipse addit: distinguendum esse inter substantiam materialem & formalem, neque se negare, viliores illam materiam aut massam hominis initio conditam utcunque remansisse, sed formam substantialem aut substantiam formalem deperisse, imò & in contrariam mutatam esse: quâ tamen *επινοησις* causam suam nihilo meliorem facit, fortasse etiam deteriores.

cc

cc

c

cc

cc

c

LVIII.

Aut enim intelligit per formam substantialem & substantiam formalem hominis animam rationalem: atq; sic ex sententia Flacij destructa esset præstantissima Dei creatura, & hoc ipso tolleretur rerum conservatio, ac proinde providentiæ divinæ pars non exigua deficeret: aut intelligit integritatem & sanctitatem rationalis animæ; & sic inexcusabilem rerum diversissimarum confusionem infert.

LIX.

Aliud enim est forma substantialis hominis; aliud forma substantialis hominis integri seu nondum lapsi. Ibi substantia informanda est: necesse igitur est, ut & ipsa forma sit substantia: hic non simpliciter substantia; sed qualificata integra substantia: non ergò necesse est, ut quidditas eius substantia sit. Nam & accidentia suas habent quidditates, quæ substantiæ non in se, sed accidenti quodam limitatæ Esse suum dare possunt, ut ex Philosopho notum est.

2. Metaph. 7
& 5. lib.
cap. 8.

In

L X.

In lapsu igitur non periit formalis substantia hominis (ut falsam hanc hypothesin errori suo supponit Flacius) hæc enim est anima rationalis, quam homo corruptissimus etiamnum habet: sed forma hominis integri; quæ erat rectitudo in anima rationali. Non ergo successit post lapsum formalis substantia hominis, sed hominis corrupti, hoc est, horribilis depravatio animæ & corporis, omniumque virium in ijs.

L X I.

Nihil igitur hoc κρηνο φύγιστον de formali substantia juvat Flacium: sed error ille de peccati substantia simpliciter omnibus pijs abominabilis est; quippe qui in legem & Evangelium, adeoque in omnem fidem Christianam impingit, imprimis autem in articulum creationis, incarnationis Filij Dei, redemptionis, sanctificationis, resurrectionis &c. id quod prolixè demonstrare non necesse est.

L X II.

Cum multis etiam scripturæ locis pugnat è diametro; quæ testantur peccatum originis circumstare nos, inhabitare, inesse, adiacere nobis Heb. 12, 1. Rom. 7, 18, 22. in homines intrasse Rom. 5, 12. nos in peccatis conceptos esse Psal. 51, 10. Deum hominum, non peccatorum meminisse Ps. 25, 7. & quæ sunt his similia, quæ omnia atque singula peccatum ab ipsa substantia hominis satis dilucidè distinguunt: fufius isthæc exponere non est instituti nostri.

L X III.

Neque ullus orthodoxorum Patrum est, qui cum Flacio peccatum substantiam dixerit, aut animam hominis rationalem atrocissimam & Deo infensissimam bestiam, imaginem Satanæ aut originalem malitiam non sine blasphemia nominarit: sed si qui fortè nativitatem, naturam, substantiam hominis peccatum esse scripserunt, id non nisi μετανοητικῶς, exaggerandi tanti mali gratiâ, adversus jejunas Pelagianorum & Scholasticorum de peccato disputationes, factum esse constat.

L X IV.

Sic enim Lutherus ipse (cui phrasæ istæ contra Latomum & alios familiares erant) mentem suam exponit in cap. 3. ad Galatas: *Cum peccator revera venit in notitiam sui, non solum sentit, se peccatorem concretivè, sed etiam abstractivè, id est, non solum videtur sibi calamitosus, sed ipsa*

ita commendat
Flacius animam rationalem
part. 2.
clav. script.
f. 371. seqq.

tom. 4. lat.
len. fol. 93.
a.

ipsa calamitas, non solum peccator & maledictus, sed ipsum peccatum & maledictum, ut in lingua Latina cum excellenter volumus aliquem significare scelestum, vocamus eum scelus &c.

LXV.

Pari modo naturale malum dicitur, non quod de essentia naturæ sit, quæ tota bona est; sed partim, quia naturæ corruptæ proprietates & conditio est, peccare, ut Concordia nostra explicat. partim etiam, quia naturali propagatione derivatur, qua de re præclare D. Augustinus lib. 4. hypognost: *Naturale malum sic dicimus, non quia sit naturæ à Deo opifice congenitum, sed quod à peccante natura transierit in peccatricem naturam, id est, quod sit naturæ peccantis vitium, non ipsa natura.*

LXVI.

Reiectis igitur absurdis & profanis de Peccato originis opinionibus, quæ circa utrumque versantur extremum; medium nos tenemus, agnoscentes, peccatum esse accidens; non tamen accidens per se, quod à forma essentiali hominis per emanationem dependeat, & cum formâ pari passu ambulet: sed accidens planè per accidens, quo posito nec ponatur, nec sublato tollatur subiectum.

LXVII.

Neque etiam tam leve accidens agnoscimus, quod naturæ nostræ absque horribili corruptione insit; sed quod corporis animæque vires instar pestilentissimæ lepræ tam profundè penetravit, ut ex filiis Dei non nisi filios Satanæ efficere potuerit.

LXVIII.

Definimus autem peccatum originis *ἀδωαιμία* naturalem, cum defectu justitiæ originalis, nobis adjacentem, congenitam & à peccato protoplastorum per parentes in omnes ex virili semine procreatos propagatam, vires omnes in homine horribiliter corruptentem, & ad peccandum impellentem, & tandem hominem æternæ morti addicentem, nisi fiat regeneratio. Rom. 8, 7:3, 2. 7, 17. Psal. 51, 7. Rom. 5, 12. Eph. 2, 3.

LXIX.

Quamquam enim alioquin difficilis est hujus morbi definitio: hæc tamen qualiscunque descriptio erroneis opinionibus satisfacit, & veram ejus naturam & essentiam, partes & conditiones, unâ cum perniciosissimo fructu, & tristissimo effectu nobis exhibet: quod ex collatione justitiæ originalis liquet; in cujus locum peccatum originis successit.

C

Quemad-

2. κατάφασις
vera sententia.

Questio III.
Quale sit pec-
catum ori-
ginis.

LXX.

Quemadmodum igitur in originali iustitia duo sunt: mate-
riale & formale, quibus tota ejus constat essentia; nimirum inte-
gritas & rectitudo omnium virium & partium in homine: & acce-
ptatio personæ Deo placentis: ita in peccato originis duo quasi ma-
la insunt, ipsum peccatum & supplicium, ut ait Augustinus lib. 22
de civ. Dei cap. 24. quod alii corruptionem & reatum vocant: in
scholis materiale & formale nominare solent.

LXXI.

Materiale in iustitia originali est clarissima lux & sapientia
mentis, conformitas voluntatis cum Deo, adfectuum cordis cum
lege Dei congruentia, omniumque virium corporis & animæ sum-
ma perfectio: *formale*, dilectio personæ Deo placentis, inhabitatio
Dei, omniumque bonorum larga communicatio: quæ omnia in
primis parentibus ante lapsum videre promptum erat.

LXXII.

Materiale
peccati orig.

Præstantissimi hujus doni horribilis destructio est peccatum
originis, cujus *materiale* est, 1. summa *adversitas* & cœcitas intellectus
in spiritualibus: animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt
spiritus Dei: stultitia est illi, & NON POTEST intelligere 1.
Cor. 2, 14. Ratio hujus *adversitas* est, quia Deus hujus seculi ex
cœcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evan-
gelii gloriæ Christi 2. Cor. 4, 4 & habent mentem obtenebra-
tam, ab alienati à vita Dei, propter ignorantiam, quæ est in illis,
& excœcationem cordis eorum Eph. 4, 18. 2. aversio voluntatis
à Deo, quæ non nisi ad malum prona est ab adolescentia Gen. 8,
21, diligens vanitatem & quærens mendacium Psal. 4, 3. 3. gra-
vissima lucta adfectuum cordis: concupiscit enim caro adversus
spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem ad-
versantur, ut non quæcunque volumus, illa faciamus Gal. 5, 17.
4. rebellio omnium membrorum corporis, quæ non audiunt di-
ctamen rectæ rationis, Rom. 7, 23.

LXXIII.

Duo igitur insunt in materiali peccati: 1. mala privativa;
carentia nimirum seu defectus iustitiæ debitæ inesse. 2. mala posi-
tiva, videlicet rebellio & malitia totius naturæ, in qua ne minimus
monstrari potest apiculus, qui non peccato, tanquam pestilentissi-
mâ leprâ, profundissimè sit infectus.

Et hinc

LXXIII.

Et hinc sunt atrocía illa epitheta, quibus insigniuntur homines jam post lapsum, audientes ova aspidum, progenies viperarum, generatio mala & adulterina Esa. 59, 5. Matth. 3, 7: 12, 34, & 39. 16, 4: 23, 33. &c. quæ quidem omnia Phariseis & Judæis nominatim tribuuntur: attamen genium & naturam totius generis humani post lapsum, omnibus suis cogitationibus, adfectibus & actionibus corruptissimi, repræsentant.

LXXV.

Proinde subjectum hujus tam horrendi mali non monstrari potest una quædam vel pars vel membrum hominis; sed quidquid homo est & habet, corpore & animâ, peccato originali infectum est, quodque eo nomine fortassis haud ineptè dixeritaliquis, in toto homine totum esse, & in qualibet ejus parte & facultate totum, unde B. Lutherus ad exaggerandam atrocitatem hujus mali scripsit: *Peccatum est hoo totum, quod natum est ex patre & mate.* In præfat. commenta. in Psal. 51.

Subjeetum
peccati orig.

tom. 4. lat.
Ien. fol.
373. a.

LXXVI.

Ita sedem ejus agnoscit B. David ipsam primam guttam seminis & sanguinis conceptionis suæ, quando se in peccatis calefactum, hoc est, in primo conceptionis momento, cum nondum esset embryo, peccatis pollutum fuisse conqueritur Psal. 51, 5. Moses sedem ejus collocat in corde: figmentum enim cordis malum esse ait Gen. 8, 21. Apostolus Paulus fatetur peccatum hoc esse 1. in mente, quando homines post lapsum tenebras appellat, quæ sunt defectus lucis in mente, Eph. 5, 8. 2. in carne: in ea enim habitare ait peccatum Rom. 7, 18. 3. in ore, lingua, labiis, gutture, pedibus, hæc enim omnia vitiata demonstrat Rom. 3, 13. & seqq. 4. denique in omnibus membris, in quibus legem peccati esse conqueritur, Rom. 7, 23. Imò à planta pedis usque ad verticem nihil esse sani Esaias testatur cap. 1, 6.

LXXVII.

Non tamen disitemur, principatum originis sibi vindicare animam, à qua omnes actiones hominis dependent: Per hanc igitur peccatum hoc in omnes vires & membra totius hominis erumpit, ut Apostolus quidem jubeat veterem hominem exui & crucifigi, Rom. 6, 6. imprimis tamen mentis transformationem & renovationem urget Rom. 12, 2. Eph. 4, 3.

C 2

Liquet

LXXVIII.

Liquet ex his, quàm horrendam stragem peccatum originis, velut infensissimus hostis integritatis, ediderit in viribus humanis: ita ut hæ non tantùm non permanferint integræ, sed & in spiritualibus prorsus sint ineptæ, & ad bonum emortuæ: in externis autem quibusdam & politicis negotiis non nisi exiguam quandam integritatis umbram habeant.

LXXIX.

Superfunt enim in natura *ερείπια* quædam & rudera status pristini, qualia sunt notitiæ naturales de Deo, quas Paulus Apostolus gentibus etiam non renatis tribuit, & *διαισθησις* Dei appellat Rom. 1, 19. discrimen honestorum & turpium, *σοφίας φυσικῆς*, dominium rectæ rationis, quod habet in inferiores facultates animæ, dominium totius hominis, quod habet in bestias.

LXXX.

In his & similibus quibusdam, velut ex densissimis corruptionis umbris, emicant exiguæ quædam scintillæ, & velut extrema lineamenta, ut Augustinus nominat, imaginis in primâ creatione homini impressæ; quo respectu homo post lapsum semivivus relictus esse dicitur Luc. 10. qui alioquin in spiritualibus mortuus est, absque Dei spiritu, cujus est vivificare hominem, Ioh. 6, 63.

LXXXI.

Ex hac descriptione materialis peccati colligitur ejusdem formale. Quemadmodum enim in statu integritatis ob summam cum mente sua conformitatem Deus nimio opere delectabatur homine; in ipso inhabitabat, & omnium honorum suorum officinam habebat: ita nunc post lapsum ob horribilem illam naturæ corruptionem, Deus averfatur hominem nondum renatum Gen. 6, 6. ab eo recedit, specialem suam gratiam & bona aufert, & ex justo iudicio reum agit temporalium & æternarum pœnarum, nisi fiat remissio propter Christum.

LXXXII.

Hinc in scriptura non renati nominantur filii iræ Eph. 2, 3. jam judicati Ioh. 3, 18. obnoxii servituti Ebr. 2, 15. primæ & secundæ mortis rei Rom. 5, 17. 1. Cor. 15, 22. Col. 2, 13. quin & renatos propter hoc vitium morti corporis, morbis & calamitatibus absque numero subjectos esse, experientia testatur, idq; sine discrimine tam Turcarum, quàm Christianorum liberis usu venit: non enim
est di-

lib. de spir. &
lit. cap. 28.

Formale
peccati origi.

est distinctio, omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei Rom. 3, 23.

LXXXIII.

Ita peccatum fecit ex filio Dei filium Satanæ, ex creatura sancta & sincero cultore hostem creatoris sui; deposuit imaginem æterni imperatoris, & erexit in homine imaginem mortis, ut loquitur Ambrosius lib. 1. de offic. c. 49. unde factum, ut mors regnet etiam in eos, qui non peccarunt ad similitudinem prævaricationis Adæ Rom. 5, 14.

LXXXIV.

Et si verò tanta tamque miseranda peccati originalis sint effecta, ut & æternæ morti & damnationi peccatorem suâ naturâ adjudicet: deficiunt tamen hæc effecta in iis, qui ex aqua & spiritu renati, & spiritu mentis renovati sunt.

LXXXV.

Hi enim à peccatis abluuntur, ab æterna morte liberantur, mors corporis eis in viam ad vitam, crux temporalis in exercitium pietatis & fidei, quin & omnia alia in bonum vertuntur Rom. 8, 28.

LXXXVI.

Non tamen ipsum peccatum tollitur à renatis: sed cum duas habeat quasi partes, corruptionem & reatum, manente illâ, tollitur hic. Semper enim manent in sanctis vitiosi motus concupiscentiæ, & lucta carnis & spiritus, de qua renatus Apostolus conqueritur non tantum Gal. 5, 17. sed & Rom. 7, 22, 23. condelector legi Dei secundum internum hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

LXXXVII.

Non tamen imputat sanctis Dominus has peccatorum reliquias, sed merito Filii sui regit, & ex gratia condonat: unde D. August. lib. 1. de nupt. & concupis, cap. 25: *Dimittitur carnis concupiscentia in Baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur*, & alibi scribit: *Omnia mandata facta putantur, quando, quidquid non sit, ignoscitur*, i. Retract. 19.

LXXXVIII.

Atque sic, si rem rectâ lance appendamus, duo sunt, quæ peraguntur in Baptismo, quoad peccatum originis, Regeneratio & Renovatio. Primum enim tollitur reatus peccati ab homine, qui jam Christum induit, ut nihil amplius damnationis in se habeat. Gal. 3, 27. Rom. 8, 1. & hoc *Regenerare* dicitur. Deinde ipsa

*Questio IV.
De concupiscentiâ residuâ in Renatis.*

quoque depravatio non nihil tollitur, vires enim renovari incipiunt & reluctari motibus pravæ concupiscentiæ, & hoc est *Renovare*. Quæ de causa Baptismus vocatur lavacrum regenerationis & renovationis Tit. 3, 5.

LXXXIX.

Hoc tamen inter ista duo interest discriminis, quod Remissio, quæ tollit reatum, numeris omnibus est absoluta & perfecta: Renovatio autem, quæ tollit infirmitatem, tantum inchoata in hac vita, iuxta illud Augustini: *Baptismus sanat vitiatum à reatu statim, ab infirmitate paulatim: & reatus concupiscentiæ in Baptismo continuo aboletur, sed non infirmitas continuo sanatur, epist. 105.*

XC.

Quamdiu enim in Paradiso non sumus, sed in terra peregrinationis Adæ manemus; opus habemus adhortatione Apostolicâ; reconciliemini Deo 2. Cor. 5, 20, renovemini spiritu mentis vestræ Eph. 4, 23. induite novum hominem, ibid. & Col. 3, 8. mundate vos, perficientes sanctificationem 2. Cor. 7, 1. novus enim homo de die in diem renovatur 2. Cor. 4, 6. & crescere nos oportet in Christo capite nostro Eph. 4, 15.

XCI.

Christus enim ita quotidie mundat sibi Ecclesiæ lavacro aquæ in verbo, ut tandem exhibeat sibi eam gloriosam in perfecta vita, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ut sit sancta & immaculata Eph. 5, 26, 27.

XCII.

Ex hac declaratione colligere promptum est, quomodo nostra de concupiscentia doctrina differat ab errore Pontificiorum. Nam & hi docent, reatum peccatorum remitti in Baptismo, in quo nos libenter consentimus; nisi quod isti venenum hæreseos suæ aspergunt, reatum æternum mutari in temporalem, quod extra scripturam adserunt; sed & in eo multis parasangis ab Ecclesiarum nostrarum *orthodoxis* distant, quod renovationem in hac vita perfectam esse fingunt.

XCIII.

Hinc nata est illa Helena, pro qua tantopere concertant, quasi Renati integrè implere possint legem, & quasi concupiscentia in Renatis non sit peccatum, sed peccati fomes tantum, & *de antiquis* aliquid, quam ob causam Tridentina Synodus anathemate ferit omnes eos, qui adserunt, non tolli in Baptismo totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: qui que credunt, Dei præcepta

lib. 2. cont.
Julian.

vide August.
lib. 2. Re-
tract. c. 18.

Sess. 5. de-
cret. de pec-
cato orig.
sess. 6. cap. 11.
et can. 18.

peccata homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia.

XCIV.

Contrà docet, renatos in Baptismo esse immaculatos, puros & innoxios, licet concupiscentiam in ipsis negare non audeat. Hanc enim concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Ecclesiam Catholicam nunquam intelligere peccatum appellari, quod verè & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: & in contradicentes itidem anathematis fulmen (sed brutum) vibrat. sess. 5. decr. de peccat. orig.

XCV.

Nos multò rectius cum sacrosanctis scripturis residuam istam concupiscentiam in Renatis peccatum esse agnoscimus, & quidem tale peccatum, quod reliquorum omnium mater est, unde ex sobolis profligata malitia de probitate matris iudicare licet: idcirco non tantùm ab Apostolo aliquoties peccatum nominatur, Rom. 7, 5, 7, 8. sed & peculiari præcepto Decalogi, in ordine nono, prohibetur. Non concupisces, ex qua prohibitione legis fatetur, se concludere didicisse, concupiscentiam peccatum esse, Rom. 7, 7.

XCVI.

Intelligimus autem non tantùm inferiorum partium animæ concupiscentiam, in sensualitate constitutam, quando caro repugnat rationis imperio, de qua tantùm modo Pontificij verba serunt; sed concupiscentiam etiam in parte superiore, hoc est, desideria mentis, obluentis & obloquentis Deo, quemadmodum Apostolus Gal. 5, 20. carnales concupiscentias vocat, non tantùm adulteria, furta, ebrietatem & c. sed & lites, æmulationes, iram, idololatriam, hæreses, & alia mala, quæ in mente sunt; qua de re prolixè disputat Augustinus lib. 14. de civit. Dei cap. 2. 3. 4.

XCVII.

Hæc autem omnia in lege de Non concupiscendo prohibentur: in qua tamen non tantùm actus concupiscendi, sed & ipse primus motus & fomes concupiscentiæ intelligendus est, nisi manifestam confusionem duorum postremorum Decalogi præceptorum inferre placeat, quod absit.

XCVIII.

Utrobique enim concupiscentia prohibetur, sed in uno $\eta\lambda\iota\theta\iota\alpha$ seu $\epsilon\pi\iota\theta\upsilon\mu\iota\alpha$ συλλαβεῖσα, ut eam D. Iacobus nominat cap. 1, 15, quam Philoso.

Philosophi *παράθραν*, suggestionem, primum motum, fomitem & titillationem peccati nominant: in altero *ἡδονή* seu *ἐπιθυμία τικτῶσα*, quæ est *ἐνέργεια προπαθείας*, quam græci *τὰ πάθη* nominant, teste Hieronymo; in cap. 7. Matth. Apostolus Paulus *πιθήματα σαρκός* appellat Rom. 7. quando nimirum voluntas jam in actum & *προαίρεσιν* concupiscentiæ prorumpit.

XCIX.

Concupiscentia *συλλαβῶσα* in renatis adultis nihil aliud est, quàm peccatum originis, talis nimirum concupiscentia, qua facit homo seipsum concupiscere ut Moses loquitur Deut. 5, 21. quæ reum faceret hominem, nisi fieret remissio: propterea semper est peccatum, quia semper est *ἀνομία* 1. Ioh. 3. sed aliàs dicitur à Jacobo parere peccatum: cui partui quamdiu sancti resistunt, id est, concupiscentiam in mortali suo corpore regnare non sinunt, Rom. 6. peccatum hoc ipsis non imputatur.

C.

Renati enim, quatenus tales, concupiscentiam quidem habent, sed non regnantem, non damnantem, cum lege tamen pugnantem, quemadmodum D. Johannes scribit de iis, qui ex Deo nati sunt, non quòd peccatum non habeant, sed quòd peccatum non faciant. 1. Ioh. 3, 9. tale nimirum quod est contra conscientiam, & regnans peccatum ab Apostolo Paulo Rom. 6. vocatur.

CI.

» In quam sententiã notissimum est *πολυβούλητον* illud Augustini tract. 41. in Joh. *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore; non ait, NON SIT, sed non REGNET. Quamdiu enim vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.*

CII.

Atque hoc posteriore sensu à nonnullis Patrum concupiscentia peccatum esse negatur, quando nimirum à piis ei resistitur, nec homo propter eam reus redditur; quemadmodum ejusdem Augustini dictum notum est: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. Concupiscentia autem (inquit lib. 1. ad Bonif. c. 13.) etsi est peccatum, tamen, quia remissa est in Baptismo, non tenet reos, in quibus est.*

CIII.

Quæ cum ita sint, temerarios profectò oportet esse eos, qui vel quenquam absque peccato originis nasci, præter unicum illum

μονόγε-

Questio V.
De objecto
peccati origi-
nalis.

μονότροπον & ἐξαιρέτων virginis Filium, Dominum nostrum Jesum Christum; vel quenquam post Baptismum innoxium & absque peccato esse fingunt; quorum utrumque satis audacter præ reliquis faciunt doctores pontificii.

CIV.

Quemadmodum enim hoc posterius ex sacro decreto concilii Tridentini paulò antè allegato constat, ita prius illud alibi ab ipsis, & quidem nominatim de B. virgine Maria, benedicta matre Domini, asseritur: de quo certamine prolixum contentionis funem traxerunt olim Monachi Dominici & Franciscani, donec tandem obtinuerunt Franciscani; B. virginem omni omnino carere peccato tam actuali, quàm originali.

CV.

Quam sententiam plerique Papicolarum hodie recipiunt, & Bellarminus in primis probabiliorem, ^a alii magis piam eam iudicant contrariâ: ^b quidam etiam præ cæteris impudentior contra Concilii Papistici canonem audacter decernit B. Mariam peccato Adami nullatenus infectam.

CVI.

Sacro sancta verò scriptura ne quidem verbum habet hoc de privilegio: conclusit potius omnes sub peccato Gal. 3, 22. ut omnium miseretur Deus Rom. 3, 9; & malum originis propagatum esse in omnes homines adserit Apostolus Rom. 5: quin & pro remissione peccatorum orabunt omnes sancti Psal. 32, 6. & in primis de B. Maria testatur scriptura, quod & ipsa precantium cœtui se aggregaverit Act. 1, 14, quodq; ideo beata sit, quia crediderit Luc. 1, 45.

CVII.

Redarguit hujus dogmatis impietatem non tantùm clara littera scripturæ, sed & Papicolarum tergiversatio, qui, paucis exceptis, nihil certi de hac quæstione decernere voluerunt.

CVIII.

Ideo enim olim in Concilio Basiliensi Sixtus Pontifex utramque sententiam liberam esse relinquendam iudicavit, & hodieq; à Bellarmino & aliis disputatur, conceptionem immaculatam virginis Mariæ non defendi, tanquam articulum fidei: rem istam non satis esse certam & exploratam: istam tamen opinionem nullo modo esse hæreticam vel erroneam iudicandam.

CIX.

Sed longè sequius & rectius D. Augustinus, qui non tantùm

D

hæreti-

Bellar. lib.
4. de amiss.
grat. cap. 1.
a Schopp.
Apolog. e.
41.
b Pererius
lib. 5. in Dan.
p. 322.

Bellar. &
Schopp. l. d.

lib. 5. cont.
Julian. cap. 9.

hæreticum, sed & detestandum hæreticum nominat, quicumque B. virginem absque peccato conceptam dixerit: *Si absq, dubio* (inquit) *caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat, ut intelligamus, nisi eâ exceptâ, OMNEM RELIQVAM humanam carnem, carnem esse peccati? & quisquis hoc negat, DETESTANDVS HAERETICVS invenitur.*

CX.

Quapropter neminem ab hac letifera labe peccati originalis excludimus, sed certò statuimus, quotquot ex naturalibus parentibus iam post lapsum naturaliter nati sunt, in eos quoque ob corruptum semen parentum peccatum in prima nativitate propagari, etiam in eos, qui nascuntur ex sanctissimis.

CXI.

Generant enim parentes non ea parte, quâ spiritus sunt & renati, sed quâ caro sunt & polluti: non secus ac Iudæus circumcissus absq; præputio generat filium cum præputio, & grana nuda in agrum reposita generant grana cum folliculis, spicis, aristis & paleis; quibus similitudinibus utitur Augustinus lib. 6. cont. Julian. cap. 2. quemadmodum vice versâ Christianus non de Christianis nascitur, quia non facit generatio, sed regeneratio Christianum, ut habet idem doctor lib. 7. de peccat. mer. & remis. c. 9.

CXII.

Ex his respondere promptum est ad id, quod rationis humanae curiositas urgere solet, cur sanctorum etiam parentum semen sit impurum, ita ut & B. David, licet ex honestis genitus parentibus, conqueratur, se in peccatis natum & conceptum esse? cuius quidem rei culpa originaliter in impuritatem maiorum, adeoque in ipsum Adami peccatum redundat, sine omni vel iustitiæ vel bonitatis divinæ labefactione.

CXIII.

Nam quia Adam radix erat totius generis humani, ideo in ipso & vita & mors nostrum erat omnium: vita quidem pervenisset ad omnes ex Adami posteris naturali modo genitos, si in veritate, viæque vitæ perstitisset ipse: mors autem similiter ad omnes iam pertransijt, quia ipso peccante nos omnes in ipso simul peccavimus: *omnes enim eramus ille unus homo*, inquit Augustinus lib. 1. de remis. peccat. cap. 10.

CXIV.

Adamus

Questio VI.
De propagatione peccati
& reatu
Adamitici
ad posteros.

Adamus igitur peccando omnem suam stirpem in seipso tanquam in radice vitiavit, ait Anshelmus in cap. 5. ad Romanos, occultâ tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabefecit in se omnes de stirpe sua venturos.

CXV.

Propterea nunc ob unius Adami delictum tota humana natura damnatur, cum tamen ob cæterorum parentum iniquitates non puniantur liberi Ezech. 18, v. 20. Parentum enim peccata personalia sunt, quæ non transfunduntur in alios, Adami verò delictum naturale est, quod propagatione carnali unâ cum ipsâ naturâ posterorum potest & solet fieri proprium, quia à semine communi ad universos & singulos derivatur, vel, ut Gregorius loquitur lib. 7. epist. 53. *quia genus humanum in parente primo velut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis.*


CXVI.

Quemadmodum igitur ab integritate & iustitia Adami nemo sese exclusisset, ita nemo mortalium se seiungat ab eius lapsu & iniustitia: sed Adami peccatum quisque suum esse existimet: *fuit enim Adam* (inquit Ambrosius in Lucam lib. 7.) *& in illo fuimus omnes; perijt Adam, & in illo perierunt omnes:* quemadmodum ob eandem etiam causam neminem iam ob alienum, sed unumquemque propter suum damnari delictum iudicamus.

CXVII.

Et hæc de peccato originis omnium malorum vitiosâ matre hac vice proponere visum fuit: præcisus reliquis partim inutilibus, partim ad cognitionem huius mali parum facientibus, partim etiam in hac vita solutu impossibilibus quæstionibus, agnoscentes non tantum atque deplorantes sceditatem naturæ nostræ, sed & ad perfectissimum *λύτρον* filij Dei confugientes; in quo habemus propitiationem non tantum pro nostris, sed & pro totius mundi peccatis: cui propterea cum Patre & Spiritu Sancto sit honor & gloria seculis infinitis. Amen.

F I N I S.




05 A 1665


ULB Halle 3
003 778 916



W 100







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

